CONSULTATIO MEDICA VINCENTII ALSARII CRUCII GENUENSIS PRO NOBILI...

Vincenzo Alsario della Croce,
Domenico Palteri

Digitized by Google

NAZIONALE
12
14 0
12
VITT. EMANUELE

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
ROMA
n55
3 K
27

12
16
f
22

A I a 95 fr

CONSVLTATIO MEDICA

VINCENTII ALSARII CRVCII GENVENSIS

Pro nobili Adoleſcentulo

Obliuione, Surditate ſecundùm alteram Aurem, Subſurditie, & Obauditione ex Tinnitu ſecundùm oppoſitam, nempè ſiniſtram, laborante.

Qui prætereà nondum, quamuis omni adhibita Cura, expeditè legere, ac ſcribere diſcere potuit, cum ex alia parte Pictura quàm maximè delectetur, in eaq; mirificè proficiat, & magna alioqui ſuprà ætatem prudentia, & modeſtia ſit ornatus; quique paucis antè annis cum ferox admodùm eſſet, & arma aſſiduè tractaret, nunc verecundus eſt, ac timidus, nec non ſilentij, & ſolitudinis ſuprà modum amator.

Quorum omnium Cognitio, atque Curatio vera Methodo traduntur, & examinantur.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMAE, Apud Gulielmum Facciottum. 1629.

SVPERIORVM PERMISSV.

CONſultationem iſtam Medicam pereximij viri D. Vincentij Alſarij Crucij Reuerendiſſimi P.M.Fr.Nicolai Riccardi Sacri, & Apoſtolici Palatij Magiſtri iuſſu diligenter perlegi, in eaque reperi nihil, quod vel Catholicę Eccleſiæ, vel bonis moribus aduerſetur: vt propterea dignam impreſſione, & ob doctrinæ vbertatem publica luce exiſtimem. In fidem hac die vlt. Septembris 1629.

Ego Baldus Baldus Florentinus Medicus Phyſicus.

Imprimatur.

Si videbitur Reuerendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

A. Epiſcopus Bellicaſtr. Viceſgerens.

Imprimatur,

Fr. Nicolaus Riccardus Sacri Palatij Apoſtolici Magiſter, Ordinis Prædicatorum.

ILLVSTRISSIMO,
ET EXCELLENTISSIMO
D. D.

PHILIPPO
DE BETHVNE

COMITI DE SELLES
A SECRETIORIBVS REGIS CONSILIIS
Conſiliario, Vtriuſque Ordinis Equiti,
&
LVDOVICI XIII. CHRISTIANISSIMI,
& Potentiſſimi Regis
apud
VRBANVM OCTAVVM
Legato Extraordinario meritiſſimo.

Q*Vàm multæ, hæq; variæ, Comes Illuſtriſsime, perſtãt apud me Conſultationes Medicæ, quarum ſelectiores non multo abhinc tempore, annuẽte Deo, in lucem exibunt; poſtquàm nimirùm Tomi duo, alter ſcilicet de Morbis Pectoris frequentioribus, qui nunc ſub*

prælo eſt, alij iam pridem impreſſo de Morbis Capitis ordine ac methodo conſimilis, & alter Ventris pari ſtudio, æquali induſtria, & eadem occaſione concinnatus, editi, & diuulgati fuerint; inter quas præſentem quoque poſueram Conſultationem (ſeu etiam Reſponſum Medicinale) in apertum non antè efferendam, quàm cæteræ inſimul prodirent. Sed meum mutare conſilium quodammodo coegit Vir Gallus Excellentiæ Tuæ quàm notiſſimus, & à nemine vmquàm ſatis, & pro merito laudatus, Henricus Blacuodæus Pariſienſis Doctor Medicus, Medicus & Profeſſor Regius, in quo ingenij acumen viget, viuidaq; ac præcipua memoria, & in quo nihilò minùs Græci quàm Latini Sermonis peritia reſplendet, ſicut in Hippocratica potiſſimùm, & Galenica pariter doctrina tanta ſtudij profunditas, quanta neſcio an in quouis alio noſtri æui, noſtri climatis fuerit hactenus animaduerſa. Quæ ſi in eo refulgent, dum vagus eſt, & exoticus; imò & armatus Miles potiùs, quàm Doctor togatus, ſine libris, ſine quiete cùm animi, tum corporis, quid dum Pariſijs, vbi intrà domeſticos parietes, intrà paternum Muſeum, hæc & illa Scriptorum multorum opera voluens, & expendens, nocturnaq; vtens quiete, ad conſiderationem & inuentionem eorum, quæ quæruntur, admodùm conducente? Nam & Muſea ob id longiſſimè ab Vrbibus ædificabant, & noctem Euphronam Græci à rectè intelligendo dixerunt.

runt. Mente enim qui plurimùm vtuntur, hi ſenſuum motu perpaucò vti omninò debent. Quid inſuper dum ibi ex altiori Suggeſtu alios edocet? O quàm ſummi & quàm ſublimes ſemper Medicinæ Coryphæi è magnâ Veſtra Gallia, & Pariſienſi in primis vbiq; terrarum decantatiſsimo Emporio prodiere. Cui nam obſecro è Medicis ſtudioſis monimenta deſunt Syluij, Montui, Fernelij, Rondeletij, Hollerij, Iacotij, Dureti, Iouberti, Laurentij, Riolani? Tacebo hoc in loco Illuſtriſsimum Buuardum Primarium Regis Chriſtianiſsimi Medicum, de cuius fama & nomine, miraque præſertim in Hippocratis doctrina rimanda & enucleanda excellentia iam pridem certus eram, at nunc adhùc certior factus ab ipſomet Balcuodæo, qui ſub tam celebris Anteſignani vexillo ſe militaſſe, ac ſub tantæ Mineruæ diſciplina, & auſpicijs profeciſſe gloriatur? O quàm verum illud; Ex vngue Leo, ex diſcipulo Magiſter. Et cui etiam Italo non fama patet Henrici Blacuodæi celeberrimi quondam Archiatri, huius, de quo ſermo, Progenitoris? Quæ ſi velim Te, ſapientiſsime Legate, docere, perinde ſanè erit ac ſi Noctuas Athenas. Teſtimonium mehercle inſtar omnium certiſsimum atque pleniſsimum nobis Italis eſt, quod non minùs de Filio, quàm de Patre facit Sanctiſsimus Dominus Noſter Vrbanus VIII. qui in Gallia olim Apoſtolici Nuntij officio fungens, ſenioris opera vtebatur, & de cu-

ius

ius miris virtutibus honorificentiſsimè loquitur. Si, vt aiebat Symmachi filius, laudari à laudato viro, rara eſt ingenij merces; quantò rarior ac ſpecioſior quæ à Summo Pontifice omni litterarum genere ornatiſsimo emanat? Fortè fortuna ergò, quod inquiunt, (diuina ego potiùs dixerim prouidentia) factum nuperrimè eſt, vt occaſio, quam titulus præfert, inter nos colloquendi, & vnà conſulendi fuerit ſuborta, identidem & poſteà renouata. Cui colloquio tum alter Medicus doctiſsimus, tum multi auditores etiam ingenio ac doctrina præſtantes, non Medici ſolùm, ſed Iuris quoque periti interfuere. A quo (vt fieri inter curioſos, aut criticos aſſolet) varia de nobis omnibus iudicia, quæ omitto. Quidnam verò ego de tanto hoc viro tunc dixerim, quidque perpetuò ſim dicturus, tum qui præſentes aderant pro teſtimonio ſtare poſſunt, tum rudis hæc Epiſtola, quam mei de illius animi dotibus eminẽtioribus iudicij indelebile velim eſſe Mnemoſinon. Ipſe autem de me, meiſq; laboribus, & operibus tam editis, quàm edendis, quid ſentiat, innumeri ferè Romæ audierunt, etiam Principes fide digniſsimi, ſed præ cæteris omnibus Excellentia Tua, quæ propterea me, ante de nomine tantummodò notum, nuper ex facie quoque cognoſcere voluit, adeò inſigni prædita eſt humanitate, & ergà ſtudioſos omnes propenſæ adeò eſt ac benignæ voluntatis; Cuius alia ſublimiora Encomia tamquàm non huius loci

nunc

*nunc prætermitto, maximè verò quæ verſari debe-
rent circà mirabilem prorſus peritiam, virtutemque
ciuilem, qua in rebus planè ſerijs grauibuſque, & quæ
tangunt vniuerſum ſtatum, tantoperè emines. Vn-
de cum alibi olim apud varios, & per quàm eximios
Principes, tum præcipuè Romana in Aula hodie, in
tanta rerum commotione, ſolertia, dexteritate, fide
nemini Te ſecundum eſſe amplè ſatis, (atteſtantur id
omnes) ſumma tua cum laude, & ſempiterna tan-
ti Regis gloria demonſtras. Ideò in Te quadrare aptè
videtur, quod apud Platonem in Alcib. 1. legitur:*
Εἰδότος περὶ ἑκάστου ἡ συμβουλή; Conſilium eius eſt, qui rei
cuiuſque peritus. *Cupiens itaque Vir præclariſsimus
Conſultationem hanc, ex meo tunc ore exceptam, ac
multis poſteà additis exornatam, è priuata publicam
fieri, vt vel ex ea ſola (ita ipſe ait niueo illo & Gal-
lico candore) quæcumque liberè, & paſsim de me di-
ctitat, vera eſſe cuncti cognoſcant, ſeque non ex af-
fectu aliquo, ſed mera rei permotum veritate, loqui
quæcumque loquitur; ego idcircò, qui, vt ſinguli ſo-
lent, fauere, quantum poſſum, meæ dignitati debeo,
nec eſſe aduerſus iudicium tanti Viri, quem ex mul-
tiplici eius Scientia & Eruditione errare vix credo,
improbè curioſus, in apertum exire Conſultationem li-
benter permitto, eamque, qualiſcumque & quantu-
lacumque ſit, ſplendidiſsimo Tuo Nomini dicare, &
& inſcribere veritus minimè ſum, vt potè quam ab*

Ex-

Excellentia Tua Illuſtriſsima non minùs hilari animo ſuſceptum iri confido, quàm nuperrimè Auctorem ſerena fronte, in qua animorum perleguntur indicia, exceperit. Ità Deus Omnipotens Te vnà cum Rege Chriſtianiſsimo, Sacroſanctæ Fidei Catholicæ contrà Hæreticos Propugnatore feliciſsimo, Ludouico Decimotertio, cognomine Iuſto, diutiſsimè ſeruet incolumem.

Romæ, Anno 1629. die 20. Septembris.

Excellentiæ Tuæ Illuſtriſsimæ

Humillimus Seruus

Vincentius Alſarius Crucius.

CON-

CONSVLTATIO MEDICA VINCENTII ALSARII CRVCII GENVENSIS

Pro nobili Adoleſcentulo

Obliuione, Surditate ſecundùm alteram Aurem, Subſurditie, & Obauditione ex Tinnitu ſecundùm oppoſitam, nempè ſiniſtram, laborante.

Qui prætereà nondum, quamuis omni adhibita cura, expeditè legere, ac ſcribere diſcere potuit, cum ex alia parte Pictura quàm maximè delectetur, in eaq; mirificè proficiat, & magna alioqui ſuprà ætatem prudentia, & modeſtia ſit ornatus; quique paucis antè annis cum ferox admodùm eſſet, & arma aſſiduè tractaret, nunc verecundus eſt, ac timidus, nec non ſilentij, & ſolitudinis ſuprà modum amator.

Quorum omnium Cognitio atque Curatio vera Methodo traduntur, & examinantur.

HISTORIA BONONIENSIS.

ADOLESCENS natus decem & octo annos, temperamenti melancholici, optimis moribus inſtitutus, cum ſexdecim abhinc annis apoſtemate in Aure dextra laboraſſet, & cum cõſuetam ſordem amplius non excerneret, ſurdus in illa Aure ferè nuper re-

manſit, adeò quòd eminus & cominus verba, & ſonos difficilè audit, & ſub indebita quantitate & menſura neque rectè intellecta percipit, atque retinet, adeò quòd facilè obliuiſcitur, aliquamq; perturbationem & Tinnitum in altera Aure perſentire incepit, præterea nihil Aures excernunt. Ità legitur ad initium litterarum quæ Bononia, vbi Adoleſcens eſt, Romam miſſæ ſunt. Ad calcem verò, ſeu finem inſtar Appendicis ab eiuſdem Patruo in Curia celeberrimo Aduocato hæc addita fuerunt. *Præter iam dicta, ſciant hunc Adoleſcentem à prima pueritia fuiſſe viuaciſsimum, & ad arma propenſum, quæ ſemper tractabat, etiamſi dicto morbo auriculari laboraret, ſed ſemper duriſsimum ad litteras perdiſcendas, & quantacumque diligentia vel ſua vel præceptorum vix potuiſſe capere prima Grammaticæ elementa, nec hodie expeditè legere, vel ſcribere, ſed mirificè delectari Pictura in qua excellenter proficit, oſtendendo aptiſſimum ſe eſſe Mechanicis artificijs. Hanc viuacitatem amiſit poſtquàm receſsit è patria, vbi eſt aer ſaluberrimus, nempè in montanis, & habitauit in tractu Ferrariæ per annum circiter loco inſalubris Cæli, proùt ferè tota regio illa eſt, ibiq; grauiter ægrotauit, & ab inde citrà numquam potuit recuperare priſtinam vim naturalem, nec colorem, ſed oppilatus ſemper remanſit; & melancholicus, ideòq; ſolitudinem amat, & minimum loquax eſt, magnaq; in primis modeſtia*

ac

ac verecundia, nec non demùm ſuprà ætatem prudentia ornatus.

CONSVLTATIO.

IN omni re conſulendi principium, noſſe id de quo conſilium inſtitutum, aut tota via aberrare neceſſum eſt, vt Plato in Phædro iure merito affirmat. Quapropter cũ inter nos ineundus nũc ſermo ſit, qúo nimirùm nobilis Adoleſcentuli abſentis non tantùm corporis quantùm etiam mentis & animi pathematis conſulẽdum pró viribus eſt, ego, antequàm ad varia remediorum genera è triplici Medicinæ fonte hauriri ſolita, à doctiſſimis Viris Bononienſibus litteris notata expendenda laudandaq; & ad alia quoque noua, ſi quæ fortè occurrerint, ſuperaddenda me accingam, conſtitui priùs de natura & idea Affectuum quos ille patitur in parte Cerebri tam hegemonica vocata, temperamenti ſcilicet læſione, quàm in parte dicta inſtrumẽtaria aut organica, ductuum ac meatuum vitio, breuiùs quàm fieri poterit diſſerere. Veriſſimum etenim eſt quod ſcriptis mandauit

Galenus ad finem primi Capitis lib. 1. de Alim. facult. Affectuum cognitio eſt remediorum materia, non autem ipſorum remediorum notitia. Ex relatis igitur & ſcriptis non difficulter colligitur, quænam in primis ſit temperatura Adoleſcentuli, & quæ ſeries ac natura Affectuum quibus laborat. Sed quoniam quæ in humano ſunt corpore παρὰ φύσιν dignoſci minimè poſſunt, niſi præcognitis quæ in eodem ſunt κατὰ φύσιν, quemadmodum Hippocrates & Galenus ſæpiſſimè teſtantur; quibus pariter conſentit Philoſophus 1. de Anima, dicens; Rectum eſt index ſui & obliqui, idcircò ante omnia agendum mihi eſſe duxi de natura malè affecti corporis, quam, ſi non Hippocrates, ſaltem Herophilus Medicus & ipſe grauiſſimus ab initio lib. de Loc. in Hom. principium in Arte Medica vocat, etſi non deſunt qui verba hæc de ſtructura & anatome partium accipiant, mox verò ad Affectus examinandos me conuertam. Scribitur ergò à Medicis præſentibus, & Adoleſcentuli valetudinem regere ſolitis, eum eſſe temperamenti melancholici; quod cum abſolutè & ſimpliciter effertur, nulli dubium quin intelligi debeat de temperamento totius corporis, ſeu de temperatura vniuerſè ſumpta & conſiderata, non autem tãtummodò corporis ſubſtantiæue medullaris Cerebri. Quam quidem craſim, niſi quis mauelit diſcraſiam nuncupa-

cupare, duo inter cætera nobis qui abſentes ſumus abundè indicant, atque oſtendunt. Primum eſt, magna illa ſuprà ætatem prudentia, cum dicat Philoſophus in Problem. de Melancholicis, eos, qui donati ſunt natura melancholica, præ alijs eſſe, non, vt malè quidam vertunt, acutiores ingenioſioreſue, ſed prudentiores, conſtantiores, atque ſtabiliores; Secundum eſt, illa taciturnitas, illud ſilentium ætati adoleſcentulorum & epheborum inſolens penitùs, quemadmodum & iuuenum, ſaltem vſque ad medium iuuentutis, in quibus vigere ſolet ingenij promptitudo, & acuties, nec non quædam in tacendo impotentia. Quæ in illis maximè cernuntur circà quorum præcordia multus gliſcit ſpiritus, multuſue calor, quo profectò lætitia, & audacia, omniſque mobilitas paritur, quibus contrà deſtituuntur melancholica præditi natura tamquàm frigidiores; Nec obijciantur Mulieres prouerbio loquacitatis notatæ, quæ tamen maribus omninò ſunt humidiores ac frigidiores, quoniam garrulitas fœminea naturalis eſt, ob inſitam ingenij leuitatem, qua multa eaque varia ſemper animo verſant, celerrimeque deliberant. Quin imò & mares, dum pueri etiamnum ſunt, neque adhùc rationis repagulis coercentur, propter caliditatem, qua magis mulieribus abundant, loquaciores eſſe videntur, tametſi

metſi poſteà virili ſuperueniente ætate, dum intimiùs ac diutiùs penſitant, conſultiùs quoque ac tardiùs verba, quæ anteà mente conceperant, foràs exprimant. Caloris ergò opera potiſſimùm fit, vt ad hilaritatem, vocalitatem, ac feritatem, non modò mobilitatem ac promptitudinem propenſus homo ſit. Vnde in Epidemijs Hippocrates notat, & ponit pro ſigno prodromo impendentis Phreneſis, quæ à feruido & bilioſo pendet ſanguine, ſi æger ad loquacitatem, præſertim extrà conſuetudinem, vergat, multaque effutiat verba. Quare & Galenus 3. Epidem. 3. ità ſcribit: Verba multa, Phreniticum eſt, ſilentium, melancholicum; & primo eiuſdem operis; Qui præter conſuetudinem, ait, & naturam propriam tacent, aut veternoſo quodam marcore & graui in ſomnum propenſione tenentur, aut Melancholiæ principium habent, Propterea non poſſum vllo pacto probare ſententiam Hieronymi Cardani in Com. illius pulcherrimi Aphoriſmi 40. Sect. 7. Vbi quis de repente linguæ incontinens fit, melancholicum eſt. Quo in loco per linguæ incontinentiam, infirmitatemue, interpretatur dicacitatem, & impotentiam quandam in tacendo, cum alia prorsùs ſit mens Hippocratis, qui non de morbo animi ibi verba facit, ſed de morbo corporis, hoc eſt, de obſtructione facta in muſculis & neruis, qui linguæ mo-

motui inſeruiunt, ab humore melancholico, cui propterea ἀκράτεια idem ſignificat quod ἀσθένεια. Verùm ex his deducet fortaſsè aliquis; Ergò Adoleſcens Melancholia morbo vocato detineatur oportet. Reſpondeo reuera nunc illum tali morbo minimè laborare, quoniam veri delirij tam in imaginatione, quàm in ratione certa ſigna non apparent. Delirium ſiquidem commune eſt rationi & imaginationi, quod ideò Galenus 2. de Sympt. cauſ.cap.7. motum vocat deprauatum aut imaginatiuæ, aut cogitatiuæ; attamen ab eo non longè aut procul abeſſe dici poteſt, dum vera ſunt quæ referuntur de tanta verecundia, tantaque taciturnitate, ac ſolitudine, quæ ſunt ſpecies quædam timoris, atque mœſtitiæ, quæ, ſi præter rationem eueniant, melancholicorum humorum vt effectus, ità etiam & illorum & melancholici morbi characteriſtica ſigna infallibilia sũt. Ità apud Hippocratem in Coacis cum ſilentio ἀθυμίαι, καὶ ἀπανθρωπίαι mœrores ac ſolitudines ad Melancholicos ſpectãt. Vnde Homerus à Galeno citatus de Bellerophonte facto Melancholico loquens ſic canit;

Qui miſer in campis mœrens errabat aleis
Ipſe ſuum cor edens, hominum veſtigia vitans.

Vt enim manca eſſe videtur ſine ſermone hilaritas, ità ſimulachrum mœroris eſt occultare quod gaudeas. Cuius quidem rei veritas non modò ex

Me-

Medicorum Dogmatis conſtare cuilibet poteſt, ſed etiam ex Hiſtoricis atque Politicis. Vnde apud Caſſiodorum, Symmachum, & alios legitur, garrulam rem eſſe lætitiam, nec præ gaudio poſſe ſpiritum contineri. Quippè modus raro lætis rebus imponitur, qui in triſtibus magis inuenitur. Et hæc congruunt ijs quæ legũtur in Panegyrico Pacati, dum in eundem hominem non poſſe eodem tempore gaudium & ſilentium conuenire ſcribit. Quò denique ſpectat illud mox memorati Caſſiodori; Nouum eſt ſub amore Principis cuſtodire modeſtiam, quia gaudia ſemper animos inquietant. Sed ad penſum obſecro, ne fortè Pragmatici ſimul & Critici, qui ad Punctum ſtatim deueniendum eſſe pronuntiantes, quantùm in re medica altè, longè, latèque valeant vel à Geometris diſcere poſſunt, me meumque ſermonem extrà conſulendi limites, ac metam exilire obtrudant. Duo itaq; hoc in loco examine digna occurrunt, quorum primum eſt, vtrum in noſtro Adoleſcentulo temperamentum propoſitum ſyntrophon ſit, ſeu antiquum, & ab eo vſque tempore quo in Vtero geſtabatur delatum, an verò aſcititium, & aliunde aquiſitum. Secundum verò, vnde nam ſit, quòd hic Adoleſcens ad diſciplinas & litteras addiſcendas iners adeò, & ineptus eſſe dicatur, vt in hanc vſque ætatem vix legere, vix ſcribere addiſce-

diſcere potuerit, cum ex altera parte Picturæ opificio tantoperè oblectetur, in eoque valenter excellat. Quoad primum, putauerim temperamentum in eo eſſe naturale, ex ſanguine materno fæculento ac melancholico tempore geſtationis & nutritionis in Vtero, quoniam ſcilicet, niſi ità ſit è natura, ego quidem non video quomodo in hac recenti & humida ſecundùm naturam ætate huiuſmodi habere poſſit temperamentum; quoniam corpora adoleſcentium & epheborum calido & humido temperamento naturaliter donata ſunt, eo quòd, vt optimè Galenus ait, in aliud temperamentum corporis incrementum incidere nequit. At ſi obijciatur, Adoleſcentem paucis antè annis, puto in ætate pubertatis, quæ hanc præſentem antecedit, viuidiſſimi fuiſſe ingenij, ferociſq; naturæ, quæ bilioſorum humorum prædominium, naturamq; picrocholam potiùs arguunt, reſponderem bilioſos humores, bilioſumq; temperamētum, ſiue natura, ſiue alia occaſione deinceps aquiſitum poſſe aliquandiù ſtare cum & humoribus melancholicis & cum eiuſdem qualitatis temperamento, vt paſſim videre eſt in multis qui ſimul bilioſi ſunt & melācholici, & propterea cum Adoleſcens Hepatis, meo quidem iudicio, ſit calidi admodùm & ſicci, partim naturaliter, partim ex euentu, propter obſtructiones quas aliàs paſſus eſt, & fortaſsè

hodie etiam circà illud viſcus patitur, magnam idcircò copiam bilioſorum ſuccorum accumulat, qui inſtar ignitorum carbonum valde priùs accenſi, mox autem extincti & velut in cineres conuerſi, dum commiſcentur cum melancholico ſucco naturali ſicco atque terreſtri, vniuerſam ſanguinis maſſam inficiunt, quo ſanguine dum Cerebrum & aliæ corporis partes aluntur, mirum non eſt, cum ex his conſtemus omnes ex quibus nutrimur, ſi etiam Cerebrũ & cæteræ corporis partes temperamentum inde melancholicum, ſeu frigidum & ſiccum nanciſcantur. Ex quibus facile eſt omnibus colligere verum eſſe quod ſcribunt Bononienſes Medici, Adoleſcentulum eſſe temperamenti melancholici, cuius origo à duplici fonte ſcaturit, nimirùm à ſanguine melancholico naturali, qui ſe in venis habet inſtar amurcæ in oleo, & fæcis in vino, nec non ab Hepate impensè calido ſiccoque. Quoad Ventriculum verò, qui Cerebrum inter & Hepar medio veluti loco iacet, & ſimpathicòs ab vtroque membro noxam accipit, puto frigida eum & humida diſcraſia laborare, quoniam ſcilicet à Cerebro in ipſum excrementa frigida aſſiduè per amplam Oeſophagi cauitatem demittũtur, à quibus calor eiuſ infirmatur, & quia etiam ab Hepate retorrido vicino eiuſdem calor & ſpiritus ingenitus quodammodo exhauritur; Vnde

Vnde Chyloſi vitiata, crudum atque pituitoſum primum illud alimentum ad Hepar tranſmiſſum, nec in perfectam Hæmatoſim commutatum, in viſceris illius venulis, quæ innumeræ ſunt & perangustæ, non contemnendas peperit obſtructiones, à quibus forſitan nec hodie immunis ac liber eſt, quarum culpa factum, vt color faciei & vniuerſæ cutis alioquin in eo floridus & vegetus ad pallidum ſeu ad quandam veluti chloroſim mutatus fuerit, ipſeq; Adoleſcens ad inchoantem cachexiam vergeret, extrinſeco etiam concurrente errore obiectoue improportionato, vel ab eo tempore, quo è patrio Cælo ac ſolo vbi aer puriſſimus ſaluberrimusq; viget, & aquæ, vina, ac cerealia ſemina ſunt conſimilis virtutis, contulit ſe ad Ferrarienſe Cælum & ſolum qualitatibus è diametro oppoſitum, ſub quo aquæ, vina, & alimenta quæuis craſſi admodùm & pituitoſi ſucci enaſcuntur. Quibus ità de temperamento Cerebri, Hepatis, atque Ventriculi ruditer expenſis, confero me ad alterum Quæſitum. Notum eſt omnibus quòd intellectus noſter, qui propriè eſt, vt Philoſophi loquuntur, cognoſcitiuus quidditatis rei, vt proprij obiecti, accipit à ſenſibus, quorum propria obiecta ſunt accidentia exteriora, adeò vt omnis noſtra cognitio à ſenſu ipſo primùm oriatur, cuius quidem intellectus duæ potiſſimùm portæ eſſe fe-

runtur, Oculus & Auris, ſeu ſenſus viſus, & ſenſus auditus, huncque conſtat maximè eſſe illum ſenſum per quem nos idiomata & doctrinas per externas voces aquirimus; vnde ab Ariſtotele talis ſenſus diſciplinarum ſenſus vocatur, & Theophraſtus lib.de Senſibus tradit auditum inter omnes ſenſus proximum eſſe rationi, vt propterea etiam doctrina illa, quæ viua voce traditur, maioris ſit energiæ, quàm ſit illa quæ librorum lectione addiſcitur. Hinc ſimiliter qui aut ſurdi, aut valdè ſurdaſtri ſunt pro ignauis ac ſtolidis habentur, vt ob id quoque qui ſurdi naſcuntur muti exiſtāt, auctore Ariſtotele 1. de Senſu, & apud eundem 33. Problem. Surditas detur ex Pulmonum vitio; quod tamen aliqui attribuūt potiùs mirabili ſimpathiæ quæ partium communione inter Aures & vocalia organa reperitur, de qua Gal. 4. de Loc. aff. 7. præſertim inter neruum auditorium à quinto pari ortum, & linguam, cuius nerui minor ſurculus (in duos enim diſtribuitur, maiorem atque minorem) ad laryngem atque linguam demandatur, vbi cum neruulis, qui à ſeptimo pari ad eandem linguam mouendam pro voce articulanda deſcendunt, manifeſtè implicatur, ad cuius propterea læſionem alij etiam læduntur, vt ſileam talem conſenſum, de quorundam ſententia, oriri quoque propter continuationem tunicæ aſperæ arte-

arteriæ cum intimiori membrana profundas Aurium partes obuoluente. Quare, ne longiùs à re noſtra abſcedam, cogitaui aliquando, an præſens Adoleſcens ob grauitatem auditus adeò iners ad diſciplinas addiſcendas euadere potuerit; nam licet manifeſta Surditas integra & consũmata dextræ Auris, & Subſurdities cum ſibilo alterius non valdè antè Medicis fuerint expoſitæ, aut patentes, ex quo nimirum ſordida Auris excrementa ex diſrupto in ea apoſtemate, quo in infantia detentus eſt, cohiberi ac reſtitare viſa ſunt, nihilotamen veriſimile ſit, ſordium cõtinuarum præſentia ex impedimento vijs & medio ab illis illato, Surdaſtrum ſaltem vel ab eo vſque tempore fuiſſe, vt ob id non omnino citrà rationem poſſimus cauſam ignauiæ in addiſcendis litteris ad huiuſmodi ſymptoma aliquo pacto referre. Quæ hallucinatio in ijs quæ per ſenſum viſus introducuntur nullo modo contingit, quippè qui in Adoleſcente perbellè ſe habet, & obiecta viſibilia tam emittendo, quàm recipiendo affabrè comprehendit, qualia ſunt quæ in Picturis obſeruantur, quorum omnium ſpecies ad communem iudicem, & ad phantaſiam quoque exactiſſimè defert, quæ ſi non intelligibilia, quod præcipuum eſt memoriæ munus, certè ſenſibilia & excipit, & aliquandiù conſeruat. Vnde Gal. 2. de Motu muſc. 6. Eadem, inquit, facultas

quæ

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

quæ imaginatur, etiam recordatur, & rerum impreſſiones conſeruat. Quæ prætereà Gal.verba ſic accipi debent, vt ſignificent ea facilè in ſpecu, ſeu theſauro memoriæ contineri,quæ anteà magnam in imaginatione impreſſionem fixere, ità vt imaginatio conferat quidem ad memorãdi actionem, ſed non quòd ipſamet potentia ſenſuum obiecta constanter, ac diù contineat. Si etenim phantaſia ſenſibus perceptas rerum ſpecies conſeruet, quis vſus erit memoriæ? Quorsùm in tantam multitudinem abſque neceſſitate facultatum numerum adaugere? Atqui ſi verum illud eſſet, aut memorandi potentia eadem foret cum imaginatione, aut læſa memoria poſſet adhùc imaginatio recordari. Denique an non meminimus tantùm præterita, imaginamur & cogitamus præſentia atque futura? Quare ſi in phantaſia ad tempus conſeruantur obiecta eidem integrè ab Oculis impertita, & ſubinde renouata, quod non ità de illis quæ per ſenſum auditus magnopere læſum ingrediuntur aſſeri poteſt, idcircò hinc fieri putauerim, vt Adoleſcens ad diſciplinas & cõtemplationes, quarum primordia ab auditus in primis ſenſu pullulant, idoneus nequaquam ſit, è contrà ad mechanicas artes non ſolùm inclinatus, ſed & perquàm aptus. In Pictura autem cum dupliciter quis valere & excellere poſſit, nimirùm aut opificio tan-

tùm

tùm per media exemplaria quæ antè oculos verſantur, aut potiùs tam fingendo, quàm pingendo, vtroque modo in ea Adoleſcens valere poteſt magis, quàm in addiſcendis litteris, & diſciplinis. Primo, quia cum ſenſus viſus exactè in eo vigeat, & propriorum obiectorum ſpecies, multiplicesq; rerum differentias in communem ſenſum primò & puriſſimè deuehat, inde eas poſtmodùm accipit phantaſia, quæ eaſdem cogitatiuæ aptè repræſentat, ad animumq́ue reducit, circà quas tantò promptiùs, meliùsq; ille ſe exercet, quantò minùs ei vacandum eſt apprehendendis, componendis, diuidendis, vno verbo, intelligendis obiectis à ſenſu auditus ad eum vix pertingentibus. Secundo, quia ad phantaſiam maximè ſpectat rerum vel abſentium, vel nullo etiam modo exiſtētium idòla ſimulachraue imaginari, atque ex ſe inuenire, ac fingere; qua quidem potentia cum Adoleſcens integra ſit præditus, nulli mirum eſſe debet, ſi in his quæ imaginatiuæ ſunt potiùs, quàm vel memoriæ, vel cogitatiuæ, aut vtriuſque ſimul, euidenter excellat. Ob antiquam etenim in eo etiam à prima infantia labefactatæ memoriæ læſionem, externarum vocum ſpecies, quibus ad intimiorem ſenſum aditus non niſi per auditus organum patet, potentia illa vel non admittit, vel, ſi admittit, ac recipit, non cuſtodit, cauſis infrà adducendis.

Con-

Conſentiunt autem denique memoriæ inſigniter offenſæ aliæ quoque hegemonicæ facultates, maximè verò ratio, vt Galenus ait 3.de Loc.affect. 5. An hoc melancholicorum humorum, quibus corpus illius abundat, prædominio, & energiæ acceptum eſt referendum, quorum cauſa fiat, vt totam mentem, totumue animum defixum & inhærentem in vna ſola habeat meditatione, quæ ad Picturæ miniſterium, Naturæ ſine doctore Magiſtræ impulſu, pertineat? Vt enim variæ rerum imagines, variaque phantaſmata animis verè Melancholicorum obuerſantur quidem, ſed ſæpè in vna tantùm praua imaginatione defixi perſeuerant, ità noſtri Adoleſcentuli mens in vna magis quàm in alia re verſatur, quem ſcilicet etiam humor diuexat melancholicus, ac rudimentum morbi qui à cauſa dicitur Melancholia, à quibus variè ſolent homines immutari, & non raró quoque ad duo extrema, dico, modò ad heroicam quandam naturam, miramque ac ſummam prudentiam, modò verò ad feritatem, ſiluestreſque mores, vt inhumani & hominibus aduerſi ſint, qualis Timon Luciano; hincque in Adoleſcente naſci maiorem ad Picturam, & mechanica, quàm ad contemplatiua et diſciplinarum ſtudia propēſionem? An verò etiam tandem contingit eum valere potiùs in pingendi arte, quàm in perdiſcendis litte-

ris

ris & diſciplinis,quia dum more Poetarum,& Melancholicorum,inter quos & Pictores non obſcura eſt analogia, ac nemini nón cognita ſimpathia,de qua pluribus Plato 10.de Rep. ad quam neſcio an Lyricorũ Latinorũ anteſignanus reſpexerit canens

———— Pictoribus atque Poetis

Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas,

Picturæ ſtudio, naturali inclinatione, ingenitoq́; oblectamento, nimis fixo animo nimiſue intentis ſpiritibus continuam operam impẽdit,mens eiuſdem alia negligit, vel comprehendere non valet? Quotidie enim videmus Picturæ deditos,in eaque pereximios, in cæteris pertractandis rebus ſtolidè ſe habentes, taciturnos, ſolitarios, & in omnibus ferè Melancholia morbo vexatis reſpondentes. Auertitur quippè mens pingendi miniſterio intentiſſima à quacumque alia celebranda operatione, ſeu interna ſit & princeps, ſeu etiam externa, & ſẽſuũ propria.Verũ eſt enim quod Epicharmus ait;Mens ſola audit & videt,reliquá sũt cœca, & ſurda. Quoties in doloribus, licet inorgano, aut dolente particula triſtis fiat à proprio ſenſibili alteratio,nihilominùs hæc non percipitur,ſi mens, & communis facultas animalis ægrotet, ſopitaue ſit, vt in Phrenitide, & adhùc euidentiùs in Lethargo, alijsq́; ſoporoſis Cerebri morbis,ſeu etiam diſtracta, alioue conuerſa, vt aliquandò fit à mu-

D ſica

ſica harmonia, aut à iucundis amicorũ colloquijs, ſcurrilibuſq; nonnullorum iocis? Quod ſanè mentis diuerticulum ſæpè à nobis in medendo ex Galeni præcepto pro Anodyno malam ſenſationem demulcente vſurpatur. Quippe ſenſus vbi ſeiunctus ab intelligentia eſt, laborem velut inſenſibilem habet.

Deſcendo ad Affectus præter naturam examinandos, atque curandos, qui duo videlicet ſunt negotium in primis faceſſentes, & curatione per remedia indigentes. Primus eſt, memoriæ læſio, & magna Obliuio; quod vitij genus magni fieri debet, quoniam memoria, inquit Plinius, neceſſarium maximè eſt vitæ bonum. Lib.7.cap.24. vbi etiam notat, nil aliud eſſe æque fragile in homine, morborum & caſus iniurias atque metus ſentiens. Secundus eſt, Surditas dextræ Auris, & Subſurdities cum Obauditione, & Tinnitu alterius. In memorandi potentia tria ſolent Medici conſiderare vitia, vnum ſcilicet, quando ea quæ audiuntur memoria non recipit, alterum quando ea quæ recipit non continet, aut conſeruat; poſtremum, quando eorum quæ iam recepta ſunt neutiquam recordamur. Duo priora notantur in Adoleſcentulo, de tertio nulla mentio, de quo propterea ego qui abſens ſum nullam poſſum fidem facere. Cum ſit itaq; Obliuio ſymptoma in genere noxæ functionis

nis hegemonicæ, & cũ quælibet functio aut actio læſa proprium conſequatur morbum, à quo tamquam à cauſa emanat, videndum quinam ſit morbus hic. Cogitaui tamen aliquandò, an huic Adoleſcẽtulo id vitij genus accideret prout ſcribit Ariſtoteles in Lib. de Mem. & Remin. nempè Melancholicos non poſſe recordari, eo quòd animũ habent in perenni & continuo motu, ob diuerſa ſpectra prauasq́; imaginationes. At quia iam ſtatutum à me eſt, Adoleſcentulum eſſe quidem maiori ex parte temperamenti melancholici, nondum verò euidenter Melancholia morbo dicto laborare, idcircò huiuſce rei indagatio aliò eſt dirigenda. Obliuioſus itaque, me iudice, eſt, quoniam ſimilari morbo in Cerebro laborat, circà eam præcipuè partem, in qua magis creditur memorandi potentia reſidere; ſi nimirùm cum Auicenna & Auerroe phantaſiam in anterioribus ventriculis, rationem in medio, memoriam in poſtremo collocemus; ſin autem in tota Cerebri ſubſtantia confusè, minimeq́; ſeorſum, vt ſentire viſus eſt Galenus, aliter loquendum, vt alibi feci hac da materia ex profeſſo diſſerens. Sed quinam erit hic morbus? Galenus 8. de Placit. Hippoc. & Plat. cap. 10. tradit omnes mentis & animi operationes perfici ab optima Cerebri temperie; Quo etiã in libro aperto Marte pugnat aduersùs Eraſiſtratum aſſeren-

tem Cerebrum humanum nobiliſſimas ideò agere operationes, quia ſummo eſt artificio fabrefactum, quaſi à ſola ſtructura & conformatione dependeat vis principum facultatum. Quod ſanè ſi verum foret, ſequeretur, quòd Bouis Cerebrum compoſitione & ſtructura noſtro quàmſimillimum ratiocinaretur, & phantaſmata ad intelligendum ſpecularetur, quo nihil dici abſurdius poteſt. Vnde Galenus cap. 6. eiuſdem libri notat, non admodum differre Cerebrum bruti animantis ab hominis Cerebro, tametſi complexione differant. Itaque concludit, hominis Cerebrum propterea nobiliſſimas edere ac promere actiones, cuiuſmodi ſunt quæ in imaginatione, ratione, atque memoria eluceſcũt, quia nobiliſſimo donatum à Natura fuit temperamento. Quare cum Galeno, ſi contrariorũ, vt Philoſophi dicunt, eadem eſt ſcientia, dum memorandi functio læditur & vitiatur, à contrario, nempè ab aliqua intemperie lædatur ac vitietur oportet. Temperie ſiquidem vt inſtrumento obitur actio. Eſt autem intemperies frigida & ſicca; nam à calido operationes huiuſcemodi potiùs deprauantur, à frigido verò imminuuntur, aut auferuntur; & eſt illa prorsùs diſcraſia, qua ſuprà dixi Cerebrum Adoleſcentis præditum eſſe. Plus etenim poteſt frigida qualitas ad nocendum, quatenus natiuum calorem & ſpiritum inſitum

ſitum proba dotatum temperie in vnum cogit, aſtringit,& quaſi deſtruit,adiuuante etiam ad hoc ſiccitate, quàm poſſit & valeat hæc eadem ſiccitus ad retinendas ſpecies, poſtquàm fuerint receptæ. Inſuper poſſumus cauſam quoque referre in nimiam pituitoſorum humorum copiam,qua Cerebrum in tali temperatura ſcatere pariter ſolet,vt ob id Melancholici omnes Ptyeliſmo aſſiduo moleſtentur, quia videlicet frigida ſiccaque intemperies ſolet tractu temporis aſſociare ſibi prouẽtum excrementitiæ humiditatis, ob læſum calorem, & ob alteratricem valdè labefactatam, vt in ſenibus, quos Auerroes cõtrà Ariſtotelem volebat eſſe obliuioſos, non propter natiuam ariditatem, (ſunt enim frigidi & ſicci naturaliter)ſed propter ſuperuacaneam humiditatem, qua abundant ſenes, caloris inopia, & concoctricis facultatis debilitate. Sanè Hippocrates in Lib. de Saç. Morbo, & in de Inſania,vult homines obliuioſos fieri, dum eorum Cerebrum perfrigeratur. Quamobrem & ab intemperie frigida ſiccaque ſimul naturali,& ab excrementitia materia pituitoſa ac melancholica, dum vtraque ſua præſentia,& vi in primis frigida, maioris,quàm humidæ inſit, actiuitatis, intemperiem fouet,puto in Adoleſcentulo noſtro oriri iam dictam in memorandi potentia læſionem.Verùm quidni etiam à calida diſcraſia contingere id ipsũ po-

potuit memorandi potentiæ Adoleſcentis, quem in non multò antè præterita ætate pueritiæ ac pubertatis,non ſolùm viuidioris,ſed etiam ferocioris fuiſſe naturæ Patruus affirmat?An non Galenus 3. de Loc. affect. 5. & poſt eum Rhaſes 1. Contin. in ea videntur eſſe ſententia, vt memoria minuatur, & aboleatur ab intemperie calida? Quorum ſummorum Virorum opinioni fauent quàm maximè experientiæ,quæ clarè indicant talem facultatem lædi & deſtrui etiam à calido. In febribus ſanè peracutis & peſtilentibus, cuiuſmodi fuere olim in Peloponneſi Regione, apud Thucydidem, Galenum, & Lucretium decantatæ, quot febricitantes nominis proprij, & parentum, morbo ipſo defuncti, immemores & obliuioſi penitùs permanſere? Quoties in Phrenitide,in qua Cerebrum inflammatur, memoria deperditur? Quemadmodum & in ebrietate; quam aliquando ethnici Philoſophi concedere viſi ſunt,ad rerum triſtium obliuionem, relaxandumque animum? Diuus ſanè Ambroſius Lib. de Elia & Ieiunio ita inquit; Potentes vinum prohibentur bibere, ne, cum biberint, obliuiſcantur ſapientiam. Dicatur quòd iactura memoriæ magna eſſe poteſt, vt etiam exigua, quemadmodum vel ſola, vel iuncta ſimul cum læſione cæterarum mentis actionum; Si igitur vehemens offenſa ſit, eaque ſeorſùm à læſio-

ne

ne alterius cuiuſque actionis, profectò huiuſcemodi iactura à frigida fit intemperie. Iuxtà quem ſenſum loquutus fuit Galenus 3. de Loc. affect. 5. Læſio ſimiliter parua à calido ſimpliciter oriri poteſt, velut etiam ab humido. Quamobrem memoria deperdita, quæ eſt læſio magna & ſola, à frigida generatur intemperie, quæ ſæpè tamen humiditati, & non rarò etiam ſiccitati copulatur. Ideò enim Galenus ſe vidiſſe teſtatur quendam, qui ob laborem in ſtudijs, & ob vigilias penè amiſerat memoriam, læſa pariter ratione; item & agricolam, qui ob labores, quos vites colendo, ſubierât, tenuemque ob victum eodem modo affectus fuit. In caſu autem noſtro à frigida & ſicca intemperie læſio memoriæ contingit maiori ex parte, ſed à frigida quoque humidaq; ſimul naſci iactura poteſt. Præualente autem poſtrema, Adoleſcens erit ſomnolentus, nareſque habebit humidiores, ſi prior potior ſit, peruigil & emunctæ naris, quòd ſi in vtroque modum teneat, à frigida ſimpliciter ortum habebit. Singula diſtinctè examinabunt qui curationi præſunt. Quantùm verò ſpectat ad læſionem auditus, cum non lędatur actio, niſi pars quę ipſam facit, aut alię quę ad illam edendam ſuppetias ferunt, vnà etiam lędantur, vt eſt Galeni doctrina paſſim inculcata, & præſertim 1. de Loc. affect. eapropter neceſſe eſt, vt in auditio-

tione partim ablata, partim imminuta, ac deprauata, Adoleſcentuli internę Aurium particulę malè affectę ſint. Hoc etenim vitium Surditatis eo prorsùs modo generatur, quo ſcribunt Bononienſes Medici ipſiſſimis Hieronymi Capiuaccij verbis, quando nimirùm organo auditus aliquid prętcr naturam occurrit, vt vel non receptio fiat ſpeciei auditus, vel, ſi fiat, non iudicetur; cum alijs ſubſequentibus. Veriſſimum ſiquidem eſt quod cum Ariſtotele cęteri teſtantur Philoſophi & Medici, ſingulos ſenſus de ſuis obiectis ſincerè & integrè pronuntiare, ſi hęc tria inſimul conueniant, organum benè temperatum, medium non impeditum, & legitimè diſtans obiectum, quorũ vnum ſi deſit, ſenſus haudquaquam poteſt ęquus eſſe iudex eorum quę percipit. Ideò Oculus flauo vndique ſuffuſus colore omnia flaua iudicat, lingua alieno ſapore imbuta integrum de ſaporibus iudicium ferre non poteſt, ſtrepitusque aut tinnitus intrà Aurem impedit auditus organum, quominùs externas voces ex ęquo dijudicet. Idcircò cum in auditione celebranda tria neceſſariò concurrant, Cerebrum, organum auditus, & anfractus atque meatus, ſeu gyri labyrinthei Aurium cum tot álijs ibi diuinitùs fabrefactis locis, in Adoleſcentulo tria potiſſimùm dinumerata ſimul ad eum afficiendum conuenire videntur. De Cerebro non
eſt

eſt cur dubitemus, quod abundè indicat memorandi potentia, quę ibi ſedem obtinet, lęſa, vti nec de organo principali auditus, quem Medici ſtatuunt vnanimiter eſſe neruum ſignificatũ à quinto pari oriundum, & expanſum dictum, non autem aerem illum congenitum, & vernaculum, implantatum & immobilem quem vocant, in cochlea concluſum, qui potiùs eſt medium internum, quidquid alij hac de re prorſus mirabili aliter ſentiant. Quippè qui neruus & ipſe laborat intemperie frigida, ſaltem ad intimiorem partem Cerebro propinquiorem, & labyrintho, neſcio an & denſitate quadam, & anguſtia, ex longo humorum iam dictorum confluxu, ſeu rehumatiſmo, à quibus ibidem vel à primis incunabulis genitus abſceſſus fuit, à quo tandem diſrupto ſordidæ, ac ſanioſæ materiæ multos per annos ex dextra Aure iugiter defluxerunt, imò ex quo illæ cohiberi cœperunt, integra eiuſdem Auris Surditas mox obſeruata fuit. Quocircà neruus ille intemperatus redditus, & obſtructus ſecundùm rariorem ſubſtantiam (non enim perforatus, vt opticus ad chryſtallinum humorem demiſſus, qui, vt bona Medicorum pars tenet, facultatem animalem communem vectore ſpiritu ad organum viſus defert, auditorius verò per modum tantummodò irradiationis eandem ſuſcipit facultatem) in Adoleſcen-

tulo vix ſuo fungitur munere. Neſcio autem, an in anfractibus, & cauitatibus intimis aliquid etiam ſaniei ſtabuletur, aut aliquid aliud obſtruens latitet, velut quoque an ſit in neruo cicatrix ab apoſtematis vlcere relicta, à quibus lęſio in audiendo adaugeatur, via ſic externo aeri, externiſque ſonis intercepta, & intercluſa. Quid ſi Surditatis huiuſce cauſam redigamus etiam ad membranam illam tenuem, ſiccam, & ſonoram? quatenùs videlicet hæc in Adoleſcente ex iugi materiei purulentæ defluxu humiditate imbuta, & craſſior tandem quodammodo reddita, cum præ craſſitie ſonum ac externum aerem difficulter admittat, & præ humore minimè ſonora eſſe poſſit, vt in chordis, ac tympanis, pluuioſa, & auſtrina vigente tempeſtate, apparet, nullum ſiquidem humidum reſonat, vti cum ſenſu Hippocr. nos docet lib. de Princip. aer quamtauis ſoni imbutus qualitate menyngen nihilominus ſuprà naturalem conditionem humefactam, ideoq; ad ſonitum edendum ineptam adinueniens, ſonum ei impertiri neutiquam valet, & conſequenter aer congenitus nullam inde, aut perexiguam ſonitus ſpeciem excipiens, quam per feneſtellas in tortuoſos anfractus, ac labyrinthum, mox in cochleam deuehat, & ab hac in neruum traijciat ἀκουστικὸν, hincq; ad communem ſenſum, in cauſa eſſe poteſt ablati ferè au-

ditus

ditus in noſtro Adoleſcente ſecundùm Aurem videlicet dextram, intrà quam olim paſſus apoſtema fuit? Subſurdities alterius Auris ab ijſdem manat principijs, cum geminata organa eidem deſtinata miniſterio, eodemque artificio conſtructa facilè ſibi inuicem compatiantur; differentia ſolùm eſt ſub maioris, vel minoris offenſionis ratione. Deprauata autem eſt etiam auditio, qua Adoleſcens laborat dum aſſiduo Tinnitu,ac ſibilo moleſtatur. Qui Affectus ab Arabibus Auditus Phantaſticus nuncupatur, quòd ſimilem eſſe velint hãc affectionem in Auribus ei, quæ in Oculis ex ſuffuſione apparet, quia in vtraque quid falſum, quid imaginarium adeſſe videtur. Idemque contigere hoc in caſu ſcribunt, quod in Vertiginoſis, qui, cum flatus, & vapores in eorum Capite à cranio reflexi conuertuntur, perindè ac ventus in angiportu, vnde turbinem excitat, obiecta omnia verti falsò exiſtimant, quemadmodum quibus Aures tinniunt, foràs ſonos ſe audire temerè opinantur. Nec enim refert, ſi quid ſtrepat foris,an intrò. Ab Alzarauio autem Auriũ tonitrus affectio hæc dicitur; non enim hic eſt bombus ille cum ſurditate,ſimilis murmuri apum in aluearijs, quæ ambo fieri ſolere ſcribit in Coacis Hippocrates in febribus acutis, ſeu fiant Criticòs, ſeu Sympthomaticòs, & primò quidem, quando eruptura Parotis

eſt, vel Hæmorrhagia è naribus, ſecundò autem, quando multi praui, & maligni vapores à venoſo, & arterioſo genere in febribus peſtilentibus inprimis ſurſum ad Caput, & Aures expirant, de quo Aurium Tinnitu intelligi voluit Lucretius dicens,

——— *plenæq; ſonoribus Aures:*

Aut cum facultas auditoria, vt in Hermocrate, iam incipit extingui; tunc enim pro lethali ſigno vtrumq; ſymptoma epiphænomenon Hippocrates ipſe habet. Quapropter Tinnitus, & ſtrepitus, de quo impręſentiarum eſt ſermo, oritur à vaporibus eleuatis ab humore pituitoſo, & melancholico, nec non fortaſſe etiam à cruditatibus Ventriculi, qui dum menyngen illam ſicciſſimam, ac ſonoram, tympaniq; ob id nomine donatam, quæ ſpiritum includit auditorium, impellunt, ſeu pulſant, ſonitum quendam intempeſtiuum, ac præter naturalē ſiniſtra patitur Auris, aere ſcilicet eiuſdem, ſeu medio interno agitato inde atq; commoto, & reipſa neruo impertita auditorio. Vnde auditio corrupta, ſeu deprauata manat, ſicut etiam imminuta, iuxtà fortaſſe illud; Intùs exiſtens prohibet externum. Dari enim quoq; poſſe videtur actionis imminutio per deprauationem, vt hic apparet, & in alijs pariter Naturę operationibus. Quibus hũc in modum de Theoria diſcuſſis, ſermonem conuerto

uerto nunc ad Therapiam. Curandi indicationes, ſeu ſcopi ad quos collineanda mens eſt, ſunt illi prorſus, qui de mente Galeni 3. de Medic. Local. & alibi proponuntur, quos etiam idem Galenus profert in curatione morborum Oculorum ex ſententia Platonis in Charmide, nimirùm, non eſſe curandos oculos antè Capitis curationem, neque Caput, niſi anteà totius corporis ratio habeatur. Idem aſſeritur de Auribus. Propterea laudo & ego, vt Autumno proximo ac iam inſtãte vniuerſalis inſtituatur purgatio p medicamenta deiectoria, per ſanguinis miſſionẽ varijs è locis moliẽdam, deinceps deſcendendũ ad ſpecialem purgationem Capitis per errhina tum mitiora, tum valentiora, ita vt ſternutamenta concitent, & per maſticatoria, quæ, niſi timeatur humorum attractorum deſcenſus in Ventriculum, puto magnopere poſſe conferre, quia per hæc materia intra Aures contenta per canaliculum, ſeu aquęductum antiquioribus, de nonnullorum mente, ignotum, qui nimirùm à ſecundo Aurium meatu ad os, & palatum porrigitur, facillimè deriuatur, poſteà verò medicamentum generoſum offerẽdum, ad excrementorum reliquias in omnibus corporis cauitatibus non modò Aurium ſinubus ſtabulantes, partim per ſenſibilem ſudoris vacuationem, partim per inſenſibilem, ſeu per diaphoreſim diſſipandas, &

abſu-

abſumēdas, ſicut deinceps confugiendum ad eiuſdem energiæ topica,& auricularia medicamenta, & deniq; ad ea,quæ ad partium principalium intemperaturas corrigendas præſcribi à Medicis ſolent ; nec miretur aliquis , quòd non dixerim eſſe tollendas,& aperiendas obſtructiones, & reſerandam anguſtiam, atq; laxandam denſitatem, quoniam hi ſunt morbi logici , qui nihil ex vſu indicant,& ideò tantummodò magni faciēdæ,& æſtimandę ſunt horum omnium cauſæ,quæ ſunt humores,& vapores;quorum primi pro varia ſui natura præparandi, & mox euacuandi ſunt ; ſecundi verò attenuantia,& diſcutientia poſtulant. Verùm an hiſce intētionibus ſatisfacturi ex voto ſimus,nec ne, hoc opus, hic labor . Nam magnus hìc in primis eſt receſſus à naturali ſtatu , tam quoad Obliuionem,quàm quoad reliqua,ſed præcipuè quoad memoriæ iacturam . Siquidem Adoleſcentes maximè valere memoria ſolent , de quibus intellexit Plato in Timæo, licet ibi pueros vocet . Vnde nec differt ab Ariſtotele , dum ſcribit pueros , & ſenes immemores eſſe, quia de valde pueris, & infantili ætati proximis verba facit , ſicut etiam de ſenibus vltimi ſenij . Quemadmodum enim infantes , atq; pueruli propter Cerebri humiditatem , cum illis madeat membrū illud humore materno,neq;diſcurrunt,neq;reminiſcuntur,ita neq;val-

de

de ſenes propter copiam humoris excrementitij,& frigus quod paulatim ſuccedit priuatione caloris. Ariſtoteles tamen ait, quòd ſicut valdè pueri ob incremẽtum maximos motus in corpore habent, ſic decrepiti ob ætatis decrementum ſegnes habent motus,ita vt ob hanc cauſam memoria ipſorum fugaciſſima ſit. Plato autem de puberibus,& adoleſcentibus intelligit,in quibus memorãdi potentia viget,quemadmodum in ſenibus illis,qui in viridi adhuc ſenectute reperiuntur. Memoriæ læſio in adoleſcentibus, atq; iuuenibus ànteire ſolet alios grauiores morbos, Apoplexiam,Epilepſiam, cũ in ijs non niſi à magna admodum cauſa hoc vitij genus enaſci ſoleat. Tandem enim morbifica illa materia, quæ temperamentum Cerebri aliquãdiu affecit, & à quo eadem viciſſim multiplicatur, vitiata inde ac debilitata alteratrice, in Cerebri corpus,aut ventres repens,ac illabens, ab obſtructione morbos progignit;Imò etiam videmus quotidie Apoplécticos, ſi ſymptoma ſuperetur, & in Paraplexiam demigret,Epilepticos, & Paralyticos fermè omnes immemores, & obliuioſos fieri tam antè, quàm poſt paroxyſmum. Vnde monumentis traditum eſt de quodam, qui, poſt varios Epilepſiæ inſultus, in quibus memorandi vis inſigniter laborat,ita omniũ captus fuit obliuione,vt litteras legere neſciret, imò, quod mirabilius eſt,

quæ

quæcũq; ſcriberet, legere neſciret. Quare nõ ita ſicco pede pertranſeunda tanta memoriæ iactura in hoc Adoleſcentulo. Morbi inſuper ſchetici, & de recenti enati facillimè ſuperantur, quia nimirum ſunt inſtar herbarum illarum, quæ, dum primùm è terra pullulant, manu etiam leuiter admota euelluntur, ſed hectici, ſeu iam fixi, & ſtabiles, cum ſint inſtar herbarum, quę altiùs ſuas fixere radices, non niſi magna cum difficultate auerruncantur. Prouinciã igitur pro tollẽdis, ac de bellandis omnibus iſtis affectibus ſtatuo quidẽ fore arduam atque difficilem, ſed nonũdiquaque impoſſibilem. Primùm, quia occaſio Surditatis antiqua ſanè eſt, ſed non Surditas, quæ ſi aut à natiuitate, aut à multo tempore fuerit contracta, vel confirmata curari nõ poterit. Arguitur enim inde membrorum debilitas, & diſpoſitio fixa, vt colligitur 4. Quarti, & 3. Contin. cap. 1. Secundum, quia, vt Montagnana loquitur, Non eſt impoſſibile in viro benè regulabili, & à Medico ſcientia, & experientia trito aliquam antiquam Surditatem poſſe ſanari, vt patuit in Fratre Thoma Anglo, qui Surditatẽ habuerat pluribus quàm xij. annis, & fuit perfectè curatus. Quod Montagnanæ experimentum conuincere videtur Rhaſis opinionem, qui 3. Contin. tempus aſſignans inſanabili Surditati, ratione diuturnitatis, dicit, eam, ſi ſit decem annorum, inſanabilem

eſſe

eſſe; cui tamquàm magno experimentatori præſtanda fides eſt, ſed nec neganda Montagnanæ. Verùm, dicet aliquis, vna hirundo & vnus flos Ver minimè conſtituunt. In caſu itaque noſtro, cum Surditas vnius Auris, & Subſurdities, ac Obauditio in altera, non multo abhinc tempore apparuerint, licet prophaſis ſeu primaria & euidens eorum occaſio antiqua ſit, nempè ab apoſtemate illo in infantili ætate intrà Aurem exorto, & à vetuſta Cerebri intemperatura, non diffido tamen, quin Adoleſcens poſſit ab vlteriori læſione Auris non vndique affectæ præcaueri, & quoquo etiam pacto ſubleuari ab integra ferè Surditate alterius, quia non adeò antiqua eſt hæc affectio, præſertim quia non obſeruata fuit, niſi ex quo ſordida illa & ſanioſa excrementa penitùs ſunt ſuppreſſa; & quando Galenus & Paulus Ægineta Surditatem dicunt eſſe inſanabilem, de antiqua prorsùs & conſummata intelligunt. De Obliuione potiùs verendum, ſi ſit vſque adeò vetuſta, vt refertur, ſed nec deſpeſperandum, ſi diligens & accurata admodum inſtituatur curatio, ipſeque Adoleſcens doctiſſimorum Medicorum præſentium monitis obtemperauerit. Quandoquidem etiam auxilia præſtantiſſima adhùc peragenda ſuperſunt, & florenti ætati Adoleſcentiæ gratioſa omnia ſuccedere ſolere dicebat Hippocrates. Imò & Seneca Tragicus ſcri-

pſit iuuenem, tamquàm optimũ Athletam, quemlibet caſum ſuperare. Quibus confiſus ad materias Medicinales vocatas, quarum occaſione omnia iam dicta præmiſſa fuerunt, tandem deſcendo. In Chirurgia igitur conuenit ſanguinis miſſio, non quia ſanguis hìc peccet ſub nomine cauſæ principalis, ſeu Plethoræ, nam potiùs vigere ac peccare Cacochymia videtur, ſed quatenùs rationem habet cauſæ, ſine qua non. In primis enim medicamenta expurgantia & alterantia vix poſſunt corporis varias partes & venas potiſſimùm permeare, niſi aliqua fiat venarum exinanitio per ſanguinis detractionem: Prætereà cum medicamenta tam per os ſumenda, quàm exteriùs admouenda, calorifica ſint futura, niſi corpus per miſſionem ſanguinis attemperetur, & vnà quoque Iecur impensè calidum, ac eiuſdem ſanguinis motus præpediatur, poſſent illa medicamenta obeſſe magis quàm prodeſſe. Denique conuenire videtur ſub nomine reuulſionis & deriuationis. Quare auferendus dubio procul eſt ſãguis, primùm per venam ſectam, ſiue regiam, aut baſilicam, ſeu fortaſsè rationabiliùs, per communem dictam, quæ & Capitis partes, & alias inferiores iuuare ſimul ſolet, brachijq́; ſiniſtri, cum iam extractus fuerit aliàs ex dextro, & ſiniſtrum Auri nunc periclitanti è directo reſpõdeat. Item per apertionem venarum ſedis, quia

talis

talis euacuatio temperamento melancholicis,& ijs qui obſtructionibus ad hypochondriorum regionem laborant, proficua eſſe conſueuit, maximè ſi intimioribus illis venulis, quæ à ramo Splenico propagantur, hirudines applicabuntur. Quid de ſectione venarum,quæ poſt Aures excurrunt? Refert enim Oethæus Lib.Obſeru.propr.apud Schenkium lib. 1. de Auribus, Bauaricum neſcio quem Balneatorem multos à difficultate audiendi hac ratione liberaſſe: Iubebat vir ille Surdaſtros manè balneum ingredi, vt venæ, quæ retrò Aures ſunt ſitæ, balnei calore turgerent, quas poſteà ſic turgentes ſecabat, tantum ſanguinis educens, quantum conuenire videretur, euidenti cum vtilitate eorum, quibus grauitas auditus moleſta erat. Attamen omittendam cenſeo in Adoleſcente, quia diſpares cauſæ ſunt, & nimis Cerebrum refrigeraretur. Ibi enim de ea Surditate fit ſermo, quam à ſanguinis copia ad Aurium radices delabente oriri in multis ſe animaduertiſſe fatetur Oethęus.Cucurbitulæ etiam cum & ſine ſcarificatione repetitæ iuuabunt.Cauteria ſummoperè probantur,vnũ videlicet affigendum cruri dextro,nomine reuulſionis, & quatenùs videtur eſſe inſtar abſceſſus, quem ſub morbo factum tantoperè commendat Hippocrates. Ab Hepate enim, & à Ventriculo mala Adoleſcentuli non parùm foueri probatum

 eſt.

eſt. Addo quòd huiuſmodi cauterium indicari nobis videtur à Natura, quæ, aſſertore Hippoc. lib. de Arte, Artis peritis quæ facienda ſunt demonſtrat. Nam Surditati ſuperueniens genuum dolor, eam vel tollit, vel mitigat, vt idem ait Hippoc. in Lib. de Iud. Materia ſiquidem pituitoſa, ſeu etiam melancholica, ſi Naturæ robore expellentis in genua decumbat, Aures profectò deſerit, quæ quidem hac permutatione aut metaſtaſi à Surditatis vitio liberantur, vel ſubleuantur; ne taceam genuum dolorem attrahere, indeq́; fieri materiæ ſitum Aurium obſidentis, auditumq́; lædentis diuerſionem. Quæ duo ſanè præſtant, nemine reclamante, fonticuli ibidem adaperti; Quò & ratione doloris; rarò enim partium illarum exanguium & neruoſarum emiſſaria abſque dolore ſunt; & vi perennis vacuationis ſupernarum partium humores aſſiduè decurrunt. Alterum verò cauterium, quod affigendum proponitur brachio ſiniſtro, deriuationis nomine, ſummoperè laudo. De alio autem nuchæ ad inion affigendo dubitari aliquo pacto poſſe videtur, non ratione Surditatis, Obauditioniſue, ac Subſurditiei, ſeu humorum, qui illa progenerant pathemata, ſed ratione Obliuionis, aut memoriæ tantoperè læſæ; quoniam cum paſſim, de mente ſaltem Arabicæ Scholę, huiuſce potentię ſedes ſtatuatur eſſe in poſtica Capitis & Cerebri parte, ad

ſitum

ſitum nempe illum ſuper quo fonticulus excitandus, verendum eſt, ne, cum huius occaſione aſſiduè humores à toto Cerebro ad locum affectum trahendi ſint, affectio ipſa obliuioſa ingeminetur, propterea q; ab hoc tertio cauterio abſtinendum eſſe videretur,ſed,vt compenſetur vtilitas,quæ pro vlteriorj læſione auditus inhibenda inde emergeret,ex vſu fore putauerim, ſi duo Phænigmi interim ponè Aures applicarentur,diuque aperti conſeruarentur.Quod præſidij genus non parũ corroboratur teſtimonio Viri quã clariſſimi Hieronymi Mercurialis,qui de Morb.Puer.lib. 2. c.2.in dolore Auriũ ex humorũ è Cerebro confluxu,mirificè conferre ait vlcera in Capite excitata,tum quia retardatur fluxus materiei ad Aures,tum quia ipſę Cerebri humiditates,quæ alioqui illùc ruerẽt,ferè per ipſa vlcera cõſũmũtur.Ità multò antè Celſus in Ophthalmia rebelli quid exulcerans ponè Aures adhibebat, pari conſilio, & intentione. Inſuper ſi per breuia quędam interualla ſumeret Adoleſcens catapotia quædam ex illis, quæ inferius notabuntur,facilè poſſet ab adhuc maiori offenſa præcaueri immunis, cum Surditas, & ventris profluuium ſe mutuò conſequantur, ita vt Surditati ſuperueniens alui excretio illam ſedet, & è contrà, ſi hæc ſiſtatur,Surditas mox ſæpè inſurgat, idq; vi metaſtaſeos, non modò in febribus, iuxtà illud Hippocra-

cra-

cratis 4. Aph. 60. Quibus in febribus Aures obſurduerunt, ſanguis ex naribus fluens, aut aluus turbata morbum ſoluit, ſed etiam extra febres. Quòd ſi nihilominus, poſthabita Obliuione, quæ confirmata eſſe videtur, pro tollendis Surditate, ac Subſurditie, placeat Medicis præſentibus Excellentiſſimis ad emiſſarium etiam deuenire, propono conſiderandum, vtrum ex vſu futurum magis ſit ſetaceũ à Capiuaccio notatum, & ab alijs, an cauterium. In Pharmacia ſunt lenientia, præparantia, euacuantia, deobſtruentia, & deniq; corroborantia. Ideò antè omnia lenienda eſt aluus ſpeciebus Hieræ cum Diacat. ſi in bolis, vel Melle roſ. ſol. & Manna diſſolutis in decoct. Cor. adiecta ſena cum ſem. cit. ſi in forma liquida. Deinde apparandi ſunt humores tum pituitoſi tum melancholici cũ ſyrupis, & apozematis notiſſimis, qui poſtmodum humores euacuandi erunt Agarico, Rhabarbaro, Myrobalanis Chebulis, & Indis, Sena, Polypodio, & conſimilibus, facta potiſſimùm eorum infuſione, aut maceratione in aquis, aut decoctis conuenientibus, addendo Mel ipſum roſ. ſol. Syrup. de Polypodio, aut huius cenſus alia. Verùm quia huiuſcemodi corpora vnica purgatione ab humorum colluuie expiari vix poſſunt, cenſeo repetendam eſſe, præſcriptis videlicet per aliquot dies Syrupis ſiccis vocatis, de Bet. & Stæch. de ſucco Borr. de

Po-

Pomis, & de acido citri inſimul commiſtis, poſt quos offerantur pilulę tum propoſitæ, tum Cochię cum helleb. aut Hieræ diacolcynt. Aggregat. & ſimiles, relictis leuioribus, niſi corpus exſuccum nimis foret, ac gracile, viresq́; proinde non ita validæ, quidquid cõtra cenſeat Auicenna, & poſt eum Mercatus. Extrahenda enim à penitioribus Auriũ locis eſt materia, quod opus præſtare nullo modo poſſunt leuia, & hypelata quamuis repetita, ſed quæ fortiora ſunt pharmaca. Qua finita purgatione, probo decoctum ex Guaiaco, Sarzaparilla, Ligno Quercino, ſed, ſi proba inueniatur Chinæ radix, nullo pacto omittatur, additis ſimplicibus cephalicis, hepaticis, atque cardiacis, facta etiam decoctione non in ſimplici aqua, ſed in qua fruſta carnis modice fuerint præbullita; Quod quidem remedium exhibeatur per menſem, ita tamen, vt etiam ſudor, præſertim ad Caput, blanda arte, non autem ſtuphis aridis vocatis, proliciatur. Eiuſdem, aut ſimilis vtilitatis erunt conſeruæ vocatæ cephalicę, inter quas etiam omninò ſint conſeruæ Flor. Cic. Borr. & ſummit. Abſinth. ſitq́; pariter conſerua Acori, velut magnopere probarentur mihi Diaolibanum; Diamoſcum vtrumq́; magnæ Antidoti, & confectio dicta Anacardina, ſed in modica doſi, & cum iam notatis cichoraceis cõmiſta conſeruis, quæ nimiam eius calefaciendi, & ſiccandi

fa-

facultatē obtundant. Gordonius quidē laudat confectionē hanc, & dat per aliquot dies drach. duas cum decocto radicis apij, & fœniculi, ſed ſatis fortaſſe erit drachma vna, præſertim in Adoleſcente, & natura melancholico. Propono hoc in loco Electuarium huiuſmodi ℞. ſpec. Sotyræ magnæ vnc. 1. ſpec. oppoſitæ vnc. 5. ambarum deſcript. N. in Antidot. mell. electi cocti, & deſpumati lib. 5. gran. Phiſt. mundatorum vnc. 4. Ligni Aloes electi drach. v 1. infundantur Phiſtici per biduum in aquis maioranæ, & fœnicul. & cooperti vndique ſint, deinde minutiſſimè conterantur, coquanturq; & commiſceantur cum melle prædicto, & poſtquàm refrixerint, fiat cum notatis ſpeciebus Electuarium, cuius Adoleſcens ſumat hora ſomni Bolos 1 1. pond. ſcr. 1 1. ac ſuperbibat vnc. 1. 5. aquæ maioranæ ſtillatitiæ. Ad quæ tñ alterátia, & corroborantia ſimul priuſquàm deueniatur, ſpeciali purgatione Capitis ratio habenda erit; ideò inter naſipurgia probatur mihi in primis vſus turundæ ex radice cyclaminis, aut ex fermento cum puluere tabacci, ſeu hellebori albi. Inter ea verò, quæ ore maſticanda ſunt, colloco ſtaphyſagriam, & cubebas, quę in his affectibus efficaces ſunt adadmodum, & palati regionis illinitionem ex aceto mulſo, vel ſcyllino. Extrinſecùs autem ad Hepatis regionem non diſplicerent Embrocationes

ex

ex aquis cichoraceis ſtillatitijs, & linimentum ex vnguentis roſato M.& Santal.additis tamen etiam ſuccis abſinthij & eupathorij cum modico aceto. Pro Capite ſimiliter exſiccando,moderatè tamen, laudatur lixiuium ſignificatum.Nam quãdo Hippoc.in Parmeniſci filio dixit; Conducebat non lauare, de ſimplici tantùm balneo & lauacro, quia nimis humectat,intelligi voluit, non item de medicamentoſo, quale eſt lixiuium litteris notatum, & quale foret ex vino & aqua,in quibus amaracus, laurus, ſtæchas, anthos,& ſaluia incocta ſint. Probantur quoque pulueres & ſacculi è rebus capitalibus, omnibus notiſſimis. Embrocationes pariter in eodem Capite probo ex decoctione rerum capitalium,ſed præcipuè ex oleis, vti de caſtoreo, de cinnamomo,vulpino,irino,coſtino,attemperatis oleo chamæmelino, & amygdalino dulci, linteolis ijſdē imbutis,& Capiti admotis,in quo ſedē ſuam memoria habet,non in Corde, vt putat Ariſtoteles, quem abundè redarguit Obliuionis ſanatio per ea, quæ Capiti & Cerebro Medici iubent cùm intrinſecùs,tum extrinſecùs abhiberi.Sed cuinam Capitis parti Topica ſunt admouenda? Arabes in læſa memoria poſteriori,ad cerebelli ſitum, in quo vigere cogitant hanc potentiam, quemadmodum anteriori, ſi læſa imaginatio ſit, mediæ, ſi ratiocinatio. Verumtamen Galenus cùm alibi,

tum lib. 12. Meth. & 2. Catat. apertè ſcribit, quæcunque pars Capitis afficiatur, perpetuò Localia Bregmati & Sincipiti eſſe applicanda. Altiùs enim penetrant anteriori Capiti admota medicamenta, ob cranij tenuitatem, & ſuturæ coronalis raritatem. Galeni præcepto in Praxi exercenda ego obtempero, ſed nec Arabum ſperno conſilium; Ideò in Adoleſcente laudo, vt poſtica etiam pars Capitis oleo de Nuce myriſtica, aut de Caſtoreo, vel de Piperibus, & Coſtino, aut etiam Liquidambaro inungatur & foueatur. Sed quid, malo non cedente, ſi Caput ſubijceretur ſtillicidio aquarum thermalium, quæ vim habeant calefaciendi modicè, atque modicè ſiccandi, cuiuſmodi ſunt in Veronenſi agro Chalderianæ, & in Senenſi apud S. Caſſianum Duccia appellata S. Philippi? Sunt etiam qui in huiuſcemodi affectionibus laudant Neapolitana Sudatoria naturalia, quæ & à neruis, & ab intimis alijs particulis & meatibus peccātes materias elidunt. Ventriculi verò ratio aliqua habeatur, adhibito vel linimento, vel cerato quopiam ſtomachico, fotuque conuenienti. Intrà Aures tandem multa ſunt quæ intromittere poſſumus, quorum ingens ſylua eſt apud omnes Medicinæ practicę Scriptores, ſed prę cęteris probarem vſum fellis Perdicis, aut Caprę, vel etiam piſcis Luccij, quibus ineſt vis magna detergendi, attenuandi, re-

ſol-

ſoluendique. Vnde & celebris eſt id medicamenti genus in Sacris Paginis, vbi Albugo illa in Oculis Tobiæ à feruenti Hirundinis ſtercore producta collyrio ex felle piſcis Callyonimi, monſtrante Angelo Raphaele, perſanata vndique fuit: Cæcitatis nimirùm inde ortæ tenebris virtute collyrij diuini ſimul & naturalis deterſis. Succus cyclaminis, ſuccusq; colocynthidis ſummoperè commendantur. Galenus ex Andromacho pro Surditate multùm celebrat hoc remedium, quod conſtat ex veratri ſcrup. vno, & altero quoque caſtorei; diluitur aceto, vel vino, & lana exceptum infunditur. Aetius tamen mauult veratrum excipi melle & forma glandis demitti in Aurem. Sed ego omnibus antepono ſuccum cæpæ, qui tamen ità ſit paratus, videlicet, ſumendo cępam excauatam & repletam melle, oleis amygdalino amaro, & nardino, felle leporino, cum pulueribus caryophyllorum, caſtorei, intrà cineres calidas decoctam, deinde contuſam & fortiter expreſſam: Suffimigationes, & cętera ab alijs recenſita commemorare ſuperſedeo. Zoar quotidie guttam vnam olei de Synapi inſtillat. Sunt qui multorum experimento ſe probaſſe fatentur aquam ſtillatitiam ex renibus arietis, nuper ex ariete extractis, & minutim inciſis, cum pari portione aquæ vitæ, ſi guttulas noctu antè cœnam in Aurem inſtillauerimus, & goſſy-

pio foramen obturetur; efficaciorque adhùc erit, ſi vnà cum renibus flores ſtæchadis,maioranæ,roriſq;marini deſtillabuntur. Valet non ſolũ ad Tinnitum,ſed etiam ad inueteratam Surditatem. Quibuſdam non placent olea,& alia pinguia,quoniam obſtruunt; propterea magis laudant ſuffimigationes, quæ per infundibulum excipiuntur ex decoctione multorum facta in aceto & aqua,vti abſynthij, origani, baccarum lauri & foliorum eius, ac rutæ, florumque ſtæchadis, ſicut aniſorum, fœniculorum, & ſimilium. Vapor quoque aceti ſcyllini,aut vini, in quo caſtoreum bullierit, ex vſu eſſe ſolet,tam pro Sibilo,quàm pro Surditate. Commendat quinetiam Gal. ad grauem auditum, & Surditatem ipſam galbanum cum aceto & melle feruefactum, & hoc putat Valleſius eſſe medicamentum illud apud Hippocratem memoratum in Surditate Parmeniſci filij, & ſæpè etiam in libris de Morb. Mul. & de Superfœtat. in cuius nomine tradendo varij varia cenſent. Nam quidam Netopon, ſiue Netopion vocant, alij, vt Cornarius, Nepotum, nonnulli, inter quos Ruellius, Metopium. Vnde Valleſius occaſionem ſumpſit (neque enim inuentum ſuum eſt) in iam ſignificata Hiſtoria Nepotum mutandi in Metopium. Cui opinioni fauere non obſcurè videtur Dioſcorides lib. 1. per Ruellium ità loquens. Fit in

Ægy-

Ægypto, ait, vnguentum quod Metopium patrio nomine appellarunt, propter galbani commixtionem. Nam lignum, ſicut eſt eodem loco, in quo galbanum enaſcitur, Metopium vocant, de quo mentio fit ab Hipp in lib. de Loc. in Hom. in dolore Aurium ab humorum affluxu. Ait enim: Ei verò, quem dolor affligit, medicamentum natura calidum tepefactum, & Metopio ſubactum infundendum; vt ob id veriſimile ſit illud idem eſſe quod 5. Epid. νέτωπον appellat, & ad Surditatem curandam in Aures infundi debere notat. Volunt enim tam Netopon, quàm Metopion vnguenti cuiuſdam odorati, ac ſumptuoſi ex multis aromatibus mixturam eſſe, qualia erant mulierum Romanarum vnguenta, Spicatum, Foliatum, & ſimilia, quod quidem ad Surditatem valeat non aliter ac amaracinum, nardinum, laureum, irinum, & cyprinum, quippe quæ ſua tenuitate, & calore craſſos glutinoſóſq; humores diſſecant, & diſſipát. Ita, ſi diligẽter attẽdãtur quę ab Erotiano, & Heſychio litteris traduntur, nulla obſeruabitur inter illa nomina differentia. Addo quòd tam Netopon, quàm Metapion dici ab Hipp. reperio de oleo τὸ καρύων πικρῶν amygdalarum amararum. Quod ſimiliter de Metapio memoriæ proditum legitur apud Plin. lib. 15. c. 7. De oleo factitio. Amygdalinum, inquit, quod aliqui Metapium vocant, ex amaris nucibus are-

arefactis, & in offam contuſis, aſperſis aqua, iterùmque tuſis, exprimitur. Itaq; quemadmodum Caluus ad locum iam citatum de Loc. in Hom. ſumit μετώπιον, ſiue etiam νέτωπον, vel νετώπιον pro oleo iam dicto amygdalino, ſic nos dicere poſſemus, cum idem Hippoc. vtrumq; ſignificet, ſuperuacaneam eſſe codicis mutationem, ac vtrobiq; forſitan diuinum ſenem de oleo amygdalarum amararum verba facere, cum tam in hoc loco, quàm in Epidemijs de Aurium morbis loquatur, quibus huiuſmodi oleum quàmmaximè prodeſſe ſolere quotidie experimur. Alibi tamẽ, dico, in lib. de Superfœtat. ac de Morb. Mul. vbi agitur de edùcendis lochijs, ac extrahendo fœtu, quid potentius prædicto oleo ſub Netopij, ſicut Metopij nomine intelligere, vt puta galbanum in primis ipſum, quod ab arbore, à qua gignitur, Metopion appellant, teſtimonio Dioſcoridis, quodque cum myrrha, thure, cinnamomo, & alijs eiuſcemodi commixtum & lana exceptum, aut in glandes efformatum in ſubditiṫio apponi mandat, quo non modò menſes, & lochia, ſed etiam fœtum emortuum & ſecundinas educi ac extrahi affirmat. Relicta autem hac controuerſia de Hipp. ſenſu circa Netopon, ac Metopon, & quid ambo reuera ſint, ſat eſt nobis in caſu huius Adoleſcentuli tam vnguentum odoratum de natura iam dictorum, quàm

oleum

oleum amygdalinum amarum, & medicamentum ex galbano,& alijs inſimul permiſtis concinnatum,opem afferre poſſe non mediocrem. Quibus denique duo adijcere omninò debeo, nempe anteà illud auxilium,quo prædictus Thomas Anglicus 12.annorum Surdus curatus, & penitus ſanatus fuit. Accipiuntur aloe, pulpa colocynth. & euphorbium, quæ omnia in tenuiſſimum rediguntur pollinem,& ſimul cum felle vaccino trita fiunt ex eis ſief, & exſiccari permittuntur; cumq. illis vti volumus,ſuper cote fricantur, & vnà cum ſucco raphani imponuntur Auribus. Idem Montagnana ait,ad vapores, & ventoſitates in Auribus incluſas facientes Tinnitum, & ſibilum, alioſque ſtrepitus, nullam ſe inuenire potuiſſe medicinam parem ei,quam ſcripſit Rhaſes 3. Cont. cap. 1. nimirùm, quæ recipit helleb.albi,croci, nitri, caſtorei,ana drach. 1.aceti, mell. electi an. vnc. 1. bulliant ſimul, & linito licinio pluribus vicibus Auri imponatur. Aliud verò tandem de Topicorum censu auxilium erit,quo Medici nonnulli vti conſueuerunt, nempè Auribus apponi mandantes tubas, e quibus magnus intrà eas clangor indatur; quod remedij genus inde ortum duxiſſe reor, quòd Archigenes apud Galenum 3. Catat. iubet, hoc in affectu vehementem fieri debere in Aures inclamationem;vnde reprehendens ibidem quod-

dam

dam Apollonij Medici fomentum,ſcribit, in Aurium dolore opus eſſe quiete, in auditu verò, aut ablato, aut graui reddito, opus eſſe motu, & concuſſione valida, ac notatu digna ad oppoſitam affectionem tranſmutatione. At contrà eſſe videtur, quòd magni ſonitus, magnique fragores auditum valdoperè lædunt, eius diuellendo inſtrumenta, iuxtà illud Ariſtotelis; ſenſibilium excellentiæ ſenſum corrumpunt. Ità accolæ cataractarum Nili apud Ciceronē, Philoſtratum, Plinium, Surdi omnes ſunt. Quomodo ergò iuuare Surdos vel Surdaſtros poteſt vehemens intrà eorum Aures facta inclamatio? Læſio auditus aut prouenit ab obſtructione anfractuū Auris ab aliqua morbifica materia ex iam recenſitis, aut ab intemperie frigida, & fixa nerui auditorij, aut etiam ab anguſtia, aut denſitate eiuſdem, propter impactos humores, ſicut vel etiam à menynge humidiori, craſſioriq; reddita; Inſuper vel Caput Surditate laborātis vacuū eſt, vt potè anteà ab humorū colluuie expiatum, vel etiamnum repletum, atq. grauatum. Reſpondeo itaque, ſi Caput anteà ſit ea, qua dixi, ratione diligenter expurgatum, licere ad huiuſmodi ſonitum, & clangorem quoque per tubas ipſas deuenire, imò tunc poſſe admodùm prodeſſe, quatenus externus aer ex valido impulſu multùm concitatus fixos & impactos humores ab intimio-

ribus

ribus Aurium ſpecubus excludere valet, liberaſq. & expeditas vias illas reddere, iuxtà eum prorſus modum quo Hippocr. lib. 3. de Morbis in curatione Voluuli, in quo ab inflammatione exuſtà ſunt ſtercora, quæ vias illas adhuc magis occludunt, follem fabrilem intromitti mandat, & per eum plurimum flatum, vt inde inteſtina vi inflammationis contracta diſtendantur, & à ſtercore ſeparentur. Quòd ſi ab intemperie frigida, aut etiam à denſitate inſtrumenti auditus, velut ab humectatione, & craſſitie membranæ procedat vitium in audiendo, hoc pariter abigere tantus clamor poteſt, quoniam, ſi à priori cauſa, calorem tantum intra Aurem ad neruum vſque auditorium & Cerebrum ipſum ſuſcitat, & immittit, quantus conducere primùm poteſt contrariam inducendo affectionem, mox verò etiam diſcutiendo, & abſumendo quidquid præter naturam, vel neruum, vel meningem, vel Aurium cauitates infarcit, & occupat; nec vlla inde eſt læſio timeſcenda, quoniam à Capite iam integrè expiato, aut vacuo, ad locos affectos mitti, vel trahi nequeunt humores. Verumtamen ſi Caput repletum ſit, tunc meritò creditur, ſicuti etiam experimento conſtat, fragores, clangores, & ſonitus, vel aquarum de alto cadentium, vel tonitruum, vel campanarum, aut bombardarum, vel

etiam tubarum Surdaſtros nos facere, imò & Surdos, ſi noſmet de propinquo, & frequenter afficiant, quia ſcilicet huiuſcemodi motus percellunt atque percutiunt auditorium organum, & alias, quæ illi famulantur, particulas, quæ violenter percuſſæ, & malè ob id affectæ humores à Cerebro labentes, aut faciliùs admittunt, promptiùsve recipiunt; aut etiam ad ſe alliciunt, ac trahunt, quorum præſentia, ac vnione obſtruuntur; & anguſtantur, cum vacuæ, & expeditæ vndiq; eſſe debeant, ad ſuſcipiendas externarum vocum ſpecies, pro audiendi actione integrè celebranda. Hinc putauerim ego aliàs Romæ, quod Plutarchus refert, auem quandam, quæ humanas voces apprimè proferebat, vt, qui eam non videbat, de auium genere eſſe negaret, ex clangore tubarum de repente edito ad eum locum, vbi ipſa nutriebatur, aphonam ad tempus factam, propterea quia à ſenſibilis excellentia auditu corrupto, huic Pulmones, & alia vocis organa conſentijſſe dici poſſunt, nomine ſimpathiæ iam ſignificatæ, & iuxta etiam Ariſtot. ſenſum 33. Problem. 14. vbi Surditatem facit Pulmonis detrimentum. Quare in caſu noſtro, poſt vniuerſalem totius corporis, determinatamque Cerebri expiationem ſæpius iterandam, ad hoc etiam locale auxilium tutò ac vtiliter deſcendere nos poſſe cenſeo, conſilus maximè

ximè etiam teſtimonio Actuarij, qui lib. 6. Meth. medendi cap. 3. ſic ait: Poſt id verò acutis vocibus aſſiduis, & viciſſim grauibus acclamamus, & demùm per tubam ſono immiſſo liberamus. Atque hæc de Pharmacia. In Diæta ero quàm breuiſſimus, quoniam hæc in dies eſt à Medicis præſentibus inſtituenda ac præfigenda, quæ vniuersè ex Euchymis, & Pepticis conſtet, ſitque tenuis, & attenuans. Nunc enim ego de aere tantùm, de potu, & concubitu notabo nonnulla, ſicut & quædam in cibis vitanda. Si vllus morbus eſt, in quo Medici ſolliciti eſſe debēt de aere inueniendo, qui vicē ſubeat remedij, profectò ſunt Capitis morbi, cum dicat Hippocrates in Lib. de Sac. Mor. aerem dum inſpiratur omnem vim ſuam in Cerebro relinquere, nemoque ſit, qui ignoret ſpiritus animales ex aere etiam quoquo pacto generari & nutriri. Vnde videmus pro climatum diuerſitate ingenia varia ac diuerſa naſci, dico, aut arguta, aut obtuſa, quod non aliunde prouenit quàm ex aeris differentia; Sic in Thracia & Bœotia craſſa habent homines ingenia. Vnde Vates; *Bæotium vitabimus ſuem*. Contrà, vt Galenus notat in Epidem. Athenienſes acuti naſcuntur ingenij, quoniam ſcilicet Athenis, inquit, tenue Cœlum, ex quo acutiores putātur Attici. Quorsùm hæc? Quoniam laudarem quàm maximè, vt Adoleſcens noſter,

ſter, vbi vndique facta erit curatio per Pharmaciam, & Chirurgiam, relinqueret Cœlum & ſolum Bononienſe, quod tempore hyemali frigidiſſimum humidiſſimumq; & morbis Capitis, præſertim verò Oculorum & Aurium, infenſiſſimum eſſe fama iam pridem diuulgatum eſt, migraretque ad patrium, vbi aer è diametro oppoſitus viget, nempè tenuis admodum, apricus, ventilatusque, ſed temperatus, ibique moram duceret, ſaltem per annum, à tam fixo & aſſiduo pingendi ſtudio aliquandiù vacans, quippè vtrumque illi maximè profuturum eſſe exiſtimo. Nihil enim æquè auditui nocet, ac ingens frigus. Vnde Albertus Magnus in 2. ſumma de Homine, loquens de auditu, ait, inter alias cauſas, ob quas anfractus Aurium facti in eo ſunt longi, hanc eſſe, ne Cerebrum, & inſtrumentum auditus læderentur à frigore externo. Vitanda tamen etiam, quantum fieri poteſt, Auſtrina conſtitutio ex doctrina Hippocr. 3. Aphoriſ. 5. Ablegentur à ſua menſa quæcunque craſſa ſunt ac vaporoſa. Nam Hippocrates in curatione Surditatis Parmeniſci filij. 5. & 7. Epidem. conſulit, vt manè ſurgat, manè deambulet, vinoque albo tenui vtatur, pane ac piſcibus petreis; ſed ab oleribus ſe abſtineat, inter quæ collocari cæpam etiam debere puto, licet de ea Serenus canat

Qua

Quæ grauis eſt Oculis, ſenſum tamen Auribus auget.

Quod verùm eſſe promptè conceſſerim, ſi de eius ſucco pro extrinſeco remedio intelligatur: Alioqui Caput totum malè afficit, ſicut etiam faciunt olera ferè omnia, quatenùs cruda ſunt & flatuoſa, quæ ob id Oculis & Auribus multùm obeſſe ſolent, à quibus ſe abſtinentes homines externarum Regionum, vt Germani, & Flandri, tum viſus, tum auditus acie & acumine nos Italos, qui illis frequenter veſcimur, longè lateque ſuperant. Quantum ad potum, probo vinum quod nec œnodes, nec oligophoron admodùm ſit, ſed quàm tenuiſſimum, & lymphandum aqua medicata aut ligno Lentiſcino, aut Quercino, aut etiam radice vel Saſſafras, vel Chinæ; nec fortaſsè contemnendum foret vinum aliquod ex illis, quæ tempore iam inſtante vindemiarum parari ſolent, ab Arnaldo de Villa noua relata, quæ Capitis affectibus frigidis prodeſſe conſueuerunt. Tandem quoad concubitum, cenſeo illi eſſe penitùs interdicendum, tamquàm venenum, quidquid alij de Melancholicis aliter ſtatuant. Nàm meritò Democritus eum vocabat paruam Epilepſiam, adeò inimicus eſt Cerebro & in eo vigentibus virtutibus, ſicut etiam neruis, Oculis, & Auribus, præterquàm quòd, vt ethnicus ille Tragicus ait;

Vbi

Vbi turpis eſt medicina, ſanari pudet.

Et hæc mea eſt ſententia, quam tum Vobjs, Viri Clariſſimi, tum etiam Bononienſium Medicorum, qui valetudinem Adoleſcentuli præſentes regunt, cenſuræ ac prudenti iudicio libens volensq; ſubijcio.

Ità ego Vincentius Alſarius Crucius
In Vrbe Ciuis & Clinicus,
In Academia Medicinæ Practicæ Profeſſor,
In Aula olim Gregorij XV. Medicus intimus,
Nunc verò Cubicularius ab Honore.

LAVS DEO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

BIBLIOTECA